

Matthias Stein

**Ad Exeqvias Viri ... Dn. Danielis Dörcks/ Sereniss. Ducis Mecklenburgici Camerae
Conciliarii ... abs Moestissima Vidua hodie ei paratas, frequenti comitatu
cohonestandas ut confluere velint, O. O. O. Cives Academicos Officiose ac
peramanter invitatos vult**

Rostoch[i]: Weppling, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747438277>


Druck Freier  Zugang




Stein, M.,
in
D. Dörcks,

Rost. 1707.

58.





AD EXEQVIAS
VIRI
maximâ in Princepem suum fide munerisq;
dignitate perquam conspicui,
PRÆ-NOBILISSIMI Atq; AMPLISSIMI
DOMINI,

DN. DANIELIS

HERS/

SERENISS. DUCIS MECKLENBURGICI
Consiliarii Fulgidissimi
Gravissimique,

abs



AGESTISSIMA VIDUA
hodie ei paratas,

frequenti comitatu cohonestandas
ut confluere velint,

O. O. O. CIVES ACADEMICOS

Officiose ac peramanter invitatos vult

MATTHIAS SEEM/

J. U. D. Cod. P. P. O.

Academiae patriae hodie RECTOR

ROSTOCHL, Typis JOH. WEPPLINGI SER. PRINC. & UNIV. Typ.



Consiliatorum & sapientia præditorum & multarum rerum per experientiam comparatâ prudentia instructorum, in Republicâ bene constitutâ, quanta sit utilitas & necessitas quanta, Politici uno ore omnes docent, ut haud ignotum id quibuscunque sit, nisi vel ipsa Politicarum Scholarum limina quisquam

non salutaverit. Grandiloquus Plato, non inhonorus ille Philosophiæ apex, in Alcibiade sive Dialog. de Natur. Hum. Hominis, inquit, *ars & scientia gubernandi Respublicas nulla alia dicitur, quam bonum consilium; bonum autem consilium hoc vocatur, quod ad meliorem civitatis institutionem salutemque, ad consensionem populi & tranquillitatem pertinet.* Et in Theage sive Dial. de Sapientia Socratem introducit ita loquentem: *Consilium res sacra est. — Non est enim divinius aliquid, quo de quis consulere queat, quam de institutione sui atq; suorum, scilicet in Arte Gubernatoriâ, de qua potissimum sermo est.* Et sane ipsa cujuslibet Reipublicæ constitutio, verissime omnino hæc omnia dicta esse, confirmat, utpote cujus præstitutus scopus, qui felicitas civilis est, sine prudentibus prudentum Consiliatorum consiliis vix, sed quid vix dixi? imò prorsus non obtineri potest. Quia, verbis loquor Clasenii *Lib. IV. Comp. Polit. Cap. IV. §. 1. ad evitandas insidias & pericula tam interna, quam externa, opus est consiliis & Viris prudentibus, quorum consiliis Civitas conservetur integra à quibuscunque malis.* Optime Cicero, ille Senatus Vindex, ille fori, legum, ritusq; togæque patronus: *Parum est, inquit, arma esse foris, nisi sit consilium domi,* de Offic. Lib. 1. Et Lib. 1. de Invent. Melius curantur,

vantur, qua consilio geruntur, quam qua sine consilio admini-
strantur. Quibus ille Regum, quotquot hic protulit mun-
dus, sapientissimus, quem, ipso DEI Spiritu 2. Chron. I. 12.
teste, sapientiæ dono ac gloriâ nec ante ipsum ullus supe-
ravit, nec superaturus post eum quisquam est; adstipu-
latur Proverb. XI. 14. *Ubi non sunt, dicens, prudentia con-
silia, corrui populus: Salus autem est in amplitudine Consiliiarii.*
Conf. etiam Cap. XXIV. 6. Quamobrem & ipsemet multis
stipatus fuisse Consiliiariis legitur, quorum contextitur ca-
talogus 1. Reg. IV. Sic & Gallorum Regi Carolo V., cui
Sapientis tributum cognomentum est, magnæ id laudi du-
citur, quod, quoties ardui quid graviorisque momenti
fuscipiendum fuerat atq; expediendum, convocatis Regni
proceribus, eorum sapientiâ atque consiliis decerni volu-
erit, se ipsorum opus habere consiliis, sapius professus,
ut quæ à se minus sapienter gesta fuissent, eorum animad-
versione castigarentur. Non igitur est, ut quis, non a-
deò necessarios Principi Consiliiarios esse, causetur, cum
ipsemet haud rarò sapientiâ, experienciâ, prudentiâ & dex-
teritate, quantum satis est, præpolleat, quibus sibimet
ipsi, ut ita loquar, Consiliiarius esse possit. Huic namq;
dubio Corn. Tacitus, iudice magno Lipsio, acer Scri-
ptor & prudens, nostrum loco respondebit: *Unus pauca videt,
& pauca audit: Verum Principi multa sunt videnda, multaq; audi-
enda.* Scilicet, fieri nequit, ut in Republicâ, præsertim ampli-
ori ac diffusiori, omnibus negotiis Princeps ipsemet præ-
stò sit. Consiliiarii proinde ipsi sint, necesse est, per quos
videat audiatque. Hinc splendidi eorum procul dubio
Tituli sunt, quando nunc ornamentum Republicæ, nunc
splendor civium, nunc principes salutis publicæ, nunc
flores aulæ, nunc oculi, nunc corda, nunc genii Principi-
pis

pis, imò & Regum Principumve amici salutantur. Quid?
quod in iure nostro tanta eorum censeatur dignitas, ut pars
corporis imperatorii audiant, *Princ. L. 5. C. ad L. Jul. Majest.*
& *L. 8. C. de Dignit.* Unde & Werdenhagenius Lib. III.
Synops. in Rempubl. Bodini cap. 1. Quæst. VII. affirmare
non dubitavit, tam necessarios in omni Republicâ Con-
siliarios esse, quam in corpore ipso mens & ratio, sine quibus
nec corpus per momentum subsistere in homine posset.
Sapientiæ idcirco Principes sapientes sibi ducunt, sapien-
tum Virorum consiliis uti. Quod ubi neglexerint, id sibi
suisq; non fore non exitiosum, aliorum edoceri exemplis
possunt. Memorabile est, quod de Ludovico XI. Franco-
rum Rege Bodinus de Republ. Lib. III. Cap. I. enarrat.
Cum enim inconsulto Senatu quasque expedire res sole-
ret, malè ipsum ei omninò cessit. Quod cum, suo ex
damno Regniq; detrimento, quanquam serò, ipse in-
tellexisset, Carolum filium ita institui voluit, ut literas
nesciret, quo alienis potius consiliis, quam suis sapere ac
res gerere consvesceret. Ex quibus omnibus facili anim-
advertere momento quilibet potest, quantum inde damni
Reipublicæ enascatur, quando suis sufficientem ejus co-
gnitionem habentibus atq; expertis Consiliariis orbatur,
ornamenta ejus diripiuntur, splendor extinguitur. A-
gnoscutur exinde, quali cum animo ipsimet Principes
Amicos suos dimittant, oculis suis priventur, geniis suis
orbefiant, partem corporis sibi abscindi patiantur, suo-
rum, inquam, fidorum Consiliariorum abitum ex vitâ ex-
cipiant, funeraque eorum prosequantur. Ipse, quem
penes summa est Majestas, Deus Altissimus, qui Reipubli-
cæ Rectores dat hisque Consiliarios, à populo olim ju-
daico ad iram commotus, per Esaiam, Prophetam suum,
alias

alias inter pœnas & hanc comminatus ei est, Cap. III. v. sequ. Ecce enim Dominator, Dominus exercituum auferet à Jerusalem & Judâ vigorem & vim --- judicem --- & honorabilem vultu, & Consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquio. Ecce! iræ divinæ documentum Consiliariorum sublatio est, & consequens ejus confusio Civitatis atque ruina. Amoturus à Judâ & Jerusalem Deus erat vigorem & vim, cujus quædam recensentur species, quas inter referendi judices, viri vultu honorabiles, sapientes, prudentes eloquio & Consilarii; accuratissime notante Maiorato Exposit: Ecclesiast: ad h. l. Unde & nostras quondam, Beatus nunc D. Varenius Commentar. in h. l. pro more suo, id est solide, commentatus est: Notatur complexus firmamentorum status. --- Auferenda omnia firmamenta status à Judah prædicit Propheta, tam firmamentum status summum, quod erat Ecclesiasticum; --- quam illi proximum, seu firmamentum Politicum, consistens in gloriâ Regni corporalis, Regum inclutorum, Consiliariorum sapientissimorum, Bellatorum fortissimorum, Oratorum eloquentissimorum, &c. quorum omnium totalis exstirpatio, & everasio firmamenti hic ab Isaiâ prædicitur. Ecquid igitur de Te, O dulcissima Patria! de Te, tellus Mecklenburgica! ecquid fortè dicendum nunc est? Biennii scilicet intra spatium Inclytum, quod heic loci floret, florendoque florem conciliat urbi nostræ, Ducale Regimen tres morte amisit Consiliarios, fidelitate erga Principem constantissimos, vigilantia pro populi salute indefessos, sapientiâ ornatissimos, rerum gerendarum experientiâ instructissimos, prudentiâ solertissimos, consilio graves, meritorum undiquaque gloriâ magnos. Præibat SCHUCKMANNUS, ille quondam justus æquique Arbitrarius accuratissimus. Sequēbatur BALTZERUS, omni-

genæ doctrinæ laudè valdè conspicuus. Et nunc tertius,
proh fata! iis adjungitur, cujus exuviâs hodie communi
mortalium matri mandaturi sumus. Est is, sed an est?
imò verò fuit potius Vir maximâ in Principem suum fide
munerisque dignitate perquam conspicuus, Præ-Nobilis-
simus Amplissimusque DN. DANIEL DÖRERS / Se-
reniss. DUCIS Mecklenburgici Camerae Consiliarius Ful-
gidissimus Gravissimusque. Nero, ille olim Romanæ
Imperator Gentis, antequam in flagitia appetitus, inque
tyrannidem bona alioquin ejus converteretur indoles, à
Præfecto suo, Bruto, aliquando ut, quos quaque ex cau-
sa capite vellet punitos, subscriberet, nec uti solitus erat,
diutius differret sententiam, porrectâ chartâ admonitus,
ingemuisse legitur: Quam, Brute! vellem nescire lite-
ras. Hodie dum & de universâ Patriâ nostrâ optimè me-
rito, & inter omnes, quotquot rectius sapiunt, honora-
tissimo, & arctissimo non integerrimæ solum amicitiae, ve-
rum affinitatis etiam vinculo mihi conjunctissimo Viro
parentandum abs me est, quid aliud mihi optarem? quam
ut Neronianum illud meum quoque facerem votum:
Quam, Amici! vellem nescire literas. Interim dum, quæ
mutari nequeunt, perferre nosmet oportet, in volunta-
te Supremi vitæ mortisque Domini placidè acqui-
escentes; ultimo huic, quod BEATE DEFUNCTO,
ejusque in fletus ac lacrymas penè dissolutæ superstiti Fa-
miliæ exhibere possum, officio meo deesse nefas duxi.
Quod ubi, ceu virtutes Viri multaque merita merentur,
non præstitero, id dolori ac luctui, qui non cum omnibus
bonis communis duntaxat mihi est, sed proprio atque do-
mestico, cogitationes saltem non omnes disturbanti, cala-
mumque nunc impellenti, nunc retardanti rursus impu-
tetur

letur, velim. Imaginem autem Viri Gravissimi rudi penicillo delineaturus vitæque omnem partem laudabilissimæ curriculum descripturus, quò sanctè ejus tueamur memoriam, cujus virtutibus ac bonitati vix nostra sufficienter commia; ab ipso met ejus initio initium faciemus.

Annus agebatur post natum mundi Salvatorem supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo secundo, inque eodem octavus illuxerat mensis Novembris dies, quando receptus, ut cum Quintiliano Declamat. IV. loquar, in hoc pulcherrimum mundi rerumque consortium, & per succedentium vices, in ordinem mortalitatis natus est beate denatus Noster. Gustrovium verò, inter primarias Terrarum Mecklenburgicarum non infima, ob Ducalem sedem florentissima fulgidissimaque Civitas, ulnis nascentem suis excipiebat. Majores Ei atque Parentes contigerunt optimorum in Patriam meritorum; quodque omnes superat Titulos, pietatis, honestatis & cujuscunque virtutis gloriâ multum conspicui. Pater quippe ipsi fuit Vir Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. DN. JACOBUS Dörcks / dictus max Civitatis Senator præstantissimus, qui annis & canitie obsecus Senex, senio tandem, curis pro communi Civitate, & laboribus bono publico infumtis confectus diem suum supremum obiit. Matrem osculatus est fœminam Nobiliss. sui que sexus virtutum decore exornatissimam, DOROTHEAM Trebbowen. Avum paternæ lineæ veneratus est Virum Spectatiss. planeque Eximium, DN. ULRICUM Dörcks / primum inter Gustrovientes Civem. Qui matrimonii vinculo sibi junxerat, Nostroque ad eum dederat Aviam, virtutum splendore insignem Nobilissimamque fœminam, CATHARINAM Schulten. Ejusdem lineæ Proavus Beati

Beati Nostri exstitit spectatæ fidei ac integerrimus Vir, DN.
 Hans Dörcks / itidem Civis Gultro vii primarius, ex
 non ignobili Ducatûs Juliacensis oppido, Novesio, oriun-
 dus. Cum enim â crudelitate famosissimus ille Dux Al-
 banus ferro flammâqve, quorsumcunqve sua extendere
 arma poterat, cum primis in Bataviâ, Protestantes perse-
 queretur, & per confinia quoque loca ejus grassaretur sæ-
 vitia, integras omnibus suis rebus spoliatas, relictâ tristi
 fato Patriâ suâ, in peregrinas commigrare terras, familias
 cernere licuit. Refugium illis, non minus ac aliæ regio-
 nes, erant Mecklenburgicæ Terræ, hospitium præbentes
 ipsis quam liberalissimè. Eâdem igitur occasione lauda-
 tus modò Vir etiam, cujus de necessitudine non pauci in di-
 cto Juliacensi Ducatu agnitam semel restitutæ B. Lutheri
 ministerio Evangelicæ doctrinæ veritatem aperto professi
 ore erant, sub cruciatuum gravitate constantes tenuerant
 cumq; opum jacturâ, imò morte ipsâ confirmaverant; Gu-
 strovium se convertit, habitationem ibidem fortunarumq;
 sedem sibi positurus, ductâ in conjugem pietati ceterisq; vir-
 tutibus maximè deditâ ANNA Warnckenshoffs / ex
 honoratissimâ tum temporis apud Gultrovientes Warni-
 ckenshofiorum gente prognatâ, B. Nostri DN. Consiliarii
 Proaviâ. Ad maternam verò quod spectat lineam, non
 minus in eâdem Spectabiles omniq; digni honore reperiun-
 tur Parentes. Etenim Avus Nostro contigerat Vir Nobiliss.
 Ampliss. ac Prudentiss. DN. JOHANNES Trebbow / Gultro-
 vensium quoq; in tertium usq; supra trigesimum annum
 Senator primarius longè optimè meritis. Cujus conjux,
 Nostrique Avia celebratur Laudatissima fœmina ILSABE
 Rühnen. Proavus porro fuit Vir Nobiliss. ac Specta-
 tiss. DN. JOHANNES Trebbow / tum in præfetu-
 rã Sva-

râ Svânenfi, ad Domanialia pertinentē, Ducalis Culinæ
Præfectus, posteaqve sapius nominatæ Civitatis Senator
prudentissimus. *Proavia* hujus lineæ laudatur sexus sui
decus ac ornamentum, Matrona piïssima, MARGA-
RETHA Klevenowen / ex Nobiliss. KLEVENO.
VIORUM Gustrovii florente Familiâ oriunda. Gratula-
ri proinde sibi beatè in Domino Defunctus potuit, quod
â talibus satus Parentibus esset, quorum nomina â poste-
ris quoq; in pretio habentur. Magis autem gratulatus
sibi est, quod ita ab eorum providâ curâ educatus fuerit,
qui illis adhuc majora Patriæ præstare officia valuerit.
Derivatus quidem unâ cum sanguine in ipsum erat veræ
virtutis amor beneq; de Republicâ merendi studium; attâ-
men quis non fatebitur, majora ei ex prudenti educatio-
ne ac institutione incrementa accessisse? In id verò Pa-
rentes ejus omnes intendebant nervos, ut & Deo gratus &
Reipublicæ utilis efficeretur. Ante omnia curabant, ut,
qui naturaliter natus erat, spiritualiter renasceretur, illoq;
regenerationis lavacro â connato peccato ablutus Christi
inserireretur Ecclesiæ. Ut primum fari didicerat, Præ-
ceptorum commissus curæ est, ipsis quoq; Parentibus
virtutum exemplo ei prælucentibus. Et hos non tam
imitabatur, quam æmulabatur, ita ut implantata â se-
met Nato suo virtutum semina non succrescere modo, sed
& efflorescere oculis viderent, magnamq; egregiorum
olim fructuum conciperent spem. Quamquam verò
crescentibus annis sub Præceptorum ductu non exiguos
in literarum studiis progressus fecerat, adeò tamen se to-
tum Minervæ consecrare non placuit, ut potius ad a-
dultam perveniens ætatem vale, haud sine Parentum con-
sensu, Musis dixerit. Animadverterat quippe, divinam,
B quæ

quæ hæc omnia dirigit, providentiam & diversos institu-
isse hominum ordines, & variam ipsis indidisse indo-
lem ac inclinationes diversas, ut diversi ad diversa studia
nontam trahantur, quam rapiantur potius. Agnove-
rat insuper, quolibet in statu & DEO, & proximo, &
Reipublicæ inservire hominem posse. Quandoquidem
igitur certum eligendum vitæ genus erat, tum natura-
lem instinctum, tum Venerandi Patris sui exemplum se-
quutus mercaturam facere constituebat. Honestum pro-
fectò negotium, ac ad florem Reipublicæ conservandum,
si quidquam aliud, maximè necessarium, Viros omninò
sapientes atq; prudentes postulans; quo de disputat Ber-
neggerus ad Tacit: German. Quæst. XVII. Noster ve-
rò, quò in eodemò feliciter proficeret, quæ à Parente,
omnium sane Doctorum fidelissimo, perceperat hæcenus,
magis excolere decrevit, experientiam majorem atq; pru-
dentiam sibi comparaturus. Eum in finem peregrinati-
ones instituere, maximè sibi consultum fore rebatur. A
suis itaq; dimissus magnam Germaniæ partem peragran-
do illustriores quasq; urbes perlustravit, quæcunq; suum
in utrumq; convertere posset attentè observans. Hinc Bel-
gas adiit, Gentem non minus armorum ac eruditionis,
quam negotiationum gloriâ, quæquæversum patet hæc
orbis machina, longè celebratissimam. Hos inter pau-
lo diutius commoratus fuit, majorem semper suo in pro-
posito sibi experientiam conciliaturus, aucturusq; pru-
dentiam, ad quod occasionem sibi deesse deprehendebat
nullam. Voti hic adeò compos factus iter in Galliam
meditabatur, imò ad id jamjam adcinxerat sese, cum,
ecce! inopinatus advenit tristis nuntius obitum denun-
tians dulcissimæ Genitricis. Comitabantur eum literæ
Genitoris,

Genitoris, senio jam tum propinqui, filium suum repositis, imò reditum flagitantis, ut sibi in administrandis rebus esset socius, partem curarum domesticarum in semet suscipiendo. Utrumq; , ceu decebat , animum Nostri ita afficiebat, ut , rebus suis, quamprimum fieri poterat , dispositis, reditum in patriam pararet, ac non multo post reversus Parenti suo se sisteret. Jussus ab eo domui statim præesse cepit, expedire negotia, observare commoda, curare omnem rem familiarem. Tandem Beatus Beati Nostri Parens curis , laboribus, molestius defatigatus , senio ingravescente, veritatem expertus illius, quod ipsa senectus morbus, vires corporis valde detritas sentiens, rebus suis, se abdicato, filium hunc, de quo loquimur, præficere decreverat. Isigitur propriam constituere Familiam cepit, quam tantâ dirigebat prudentiâ, tanto administrabat successu, ut in admirationem raperet omnes, demonstrans, non æqvaturum se suis Parentibus modò, sed aliquando meritis superatum eos esse. Animadverterant hinc cito Senatus populusque Gvstrovienses, fore, ut, quibus adsvetus jam tum erat, curis sedulis, industrio labore, prudentibus consiliis, magno cum ejus emolumento, Civitati Beatus Vir profuturus sit. Parenti itaqve, continuâ fermè ægritudine laboranti, filium sufficiens arbitrat, Anno 1683. ipsâ Dominicâ Judica in Amplissimum Senatus Concilium Civitatis, quæ Duci sedem præbebat, eum cooptaverunt. Senatoriâ verò dignitate auctus, quibus vel donatus à DEO & Naturâ erat, vel experiundo sibi acquisiverat, dotes suas explicandi plus nactus occasionis est. Et qualem isthoc in officio se gesserit, omnes rerum gnari adhuc norunt, Senatus Gvstroviensis hodiernum de prædicat

dicat; Cives uno ore collaudant. Vel unicum illud plus
satis esse testimonii potest, quod eadem laudata Civitas non
multos ante annos ipsum sibi exoptavit caput suum atq;
Consulem. Quam spartam etiam sibi imponi fortè permi-
sisset, nisi Serenissimo Principi nostro ac Domino Cle-
mentissimo totique Patriæ suæ consecrasset servitia, in-
tegræ cujusdam Reipublicæ inserviando promovere com-
moda, quam solius unius ejusdem Civitatis, majus ma-
gisque gloriosum optimè judicans. Evenerat siquidem,
ut ad Serenissimi Principis ac Domini, DN. GUSTAVI
ADOLPHI, Ducis Mecklenburgensis, &c. &c. Domini
quondam nostri longè Clementissimi, glor. record. tan-
quam acutissimi verarum virtutum meritorumque æsti-
matoris, aures Beati Viri dotes meritaq; in Ducalem sedem
pervenirent. Hinc in Ministrorum tuorum numerum
receptum eundem voluit, quò universo operâ suâ inser-
viret Ducatui, quem ad majora natum aptumque cogno-
verat atque judicarat. Sic ergo senatorio officio aliud ad-
debatur munus novaque conciliabatur dignitas, cum à
Principe laudatissimo Anno 1694. d. 25. Junii, Vir Beatus
Ærarii Ducalis Præfectus clementissimè constituebatur.
Contingebat equidem paulò post febilis tam Magni
Principis obitus, nihilo tamen minus, durante illo no-
tissimo in his terris Imperatorio, ut ita loqui liceat, inter-
regimine, Noster demando nuperrimè officio perfun-
ctus strenuè est. Idque eâ præstitit cum fidelitate pari-
ter atque dexteritate, ut vel ipse livor, quod meritò cul-
paret, non inveniret. Unde cum Serenissimi Principis
ac Domini, DN. FRIDERICI WILHELMI, Ducis Meck-
lenburgici, &c. &c. Domini nostri longè Clementissimi,
ditionibus integra quoque Henetorum terra cum Gu-
strovio

Strovio accresceret, Ejus Serenitas laudatam sibi *Strovia*
eius fidem ac promptitudinem ita clementissimè sibi pla-
cere demonstravit, ut dictum ei munus reddiderit con-
firmatum. Sed neque hoc dignitatum satis erat Viro,
quem altius evehendum Clementissimus existimaverat
Princeps. Currente enim Anno 1701. ejusque mense Majo,
Ducali Camerae addebatur Consiliarius, ita ut, quoties de
rebus Cameralibus consultandum, in ipsum quoque su-
perius Regimem tanquam Adfessor ejus, evocaretur. Quà
spartà egregiè functus Defunctus Noster est. Serenissi-
mo deinceps placente Illustre Regimen, unà cum Ca-
merà ceterisque Judiciis Ducalibus Gustavo in nostrum
transferre Rotetum; postulante sic, quam sustinebat fun-
ctione, cum ceteris DNN. Consiliariis domicilium heic
loci sibi fixit, lugubrem hancce de Ejus vita fatisque com-
mentandi obitu suo occasionem nobis daturus. In variis
autem illis, quæ modò diximus, officiis sustinendis qua-
lem se exhibuerit, edicere si vellem, campum quidem
in laudes Ejus exspatiandi apertissimum ingredi possem;
malo tamen id omne silentio involvere, ne vel adversus
modestiam Beati, cui adsuetus in vitâ maximè erat, in
morte peccem, vel incompto dicendi genere gloriæ ejus
aliquâ in parte derogem. Testentur de eo, quotquot
intimè versari cum ipso contigit, Collegæ! Testentur
haram Terrarum incolæ, quos desideria sua illi expo-
nere oportuit! Testetur, si provocare ad eam fas est, ali-
oquin omnia taxans invidia ipsa! Vixit sane, ut qui non
noverat solum modò, sed etiam quotidie illud medita-
batur, se & Principi suo, & supremo omnium Domi-
nantium Domino, cui nihil clausum, qui interest animis
nostris, & cogitationibus mediis intervenit, scribente Se-
neca.

neca Epist. LXXXIII ; administrationis suæ rationem aliquando reddere teneri. Quod dum, ipsâmet jubente veritate, dixi, omnia me dixisse arbitrator.

Sed nunc à publicis officiis ad domestica B. Viri, à quibus dilapsi sumus, retrogrediemur. Compositis rebus suis, familiam ducturo de fideli vitæ atque curarum Sociâ prima sollicitudo erat, agnoscenti, cum primis in suo statu, veritatem divini illius enunciati Gen. II. 18: Non esse bonum, hominem esse solum. Præviis igitur precibus, dirigente rem DEO, ac consentientibus utriusq; Parentibus, desponsata Ipsi est, erga quam amoris intra semet igniculos persentiebat, Præ-Nobilissima, omniq; virtutum muliebris sexus apparatu condecoratissima, tum Virgo, nunc Vidua, eheu ! maximo in luctu constituta, MARGARETHA SCHUCKMANNIA, filia secundo genita Viri immortalium in Academiam nostram pariter atque Ecclesias Mecklenburgicas meritorum, Summè Rever. quondam, Ampliss. atque Excellentiss. DN. HERMANNI SCHUCKMANNI, S. S. Th. D. & in Academia hac antea Prof. Publ. nec non Ducalis Consistorii Consiliiarii, postea Sereniss. Ducis ac Domini DN. GUSTAVI ADOLPHI gl. m. Concionatoris Aulici Primarii ac Confessionarii, Consilii Ecclesiastici Præsidis, ut & Ecclesiarum Districtûs Gastroviensis Superintendententis, de singulis officiis longè optimè meriti celeberrimique. Cujus Viri ossa veneror memoriamque sanctè recole, utpote cujus ex filiâ primogenitâ neptem vitæque thorique sociam mihi adjunxit DEUS. Consummabantur sacerdotali copulatione, congratulantibus Amicis, nuptiæ Dörcksenio. Schuckmannianæ Anno 1680: eò futuræ feliciores, quò plus benedictionis utrique impertiebant.

pertiebantur à pietate inter omnes laudatissimi Parentes.
De T. Pomp. Attico apud Cornel. Nep. in vita ejus rela-
tum legimus: Nunquam ipsum cum conjugē sua in gra-
tiam rediisse; siquidem offensiones nullæ, nulla jurgia
unquam inter ipsosmet intercesserant. Non minus id
gratulari sibi potuit Beatus Noster, cujus virtutibus vir-
tutes Conjugis apprimè respondebant. Duobus in pecto-
ribus unus videbatur residere spiritus, duabus in anima-
bus una voluntas. Idem utriusque velle, nolle utriusq;
idem. Id non homines duntaxat admirati cum summâ de-
lectatione sunt, quin ipsi quoque conjugii Auctori in eo fuit
beneplacitum. Inde cœlum tot effudit super eorum do-
mum benedictiones, quam & honoribus auxit, & ab in-
teritu vindicavit, concessis, qui nomen, ac cum nomine
merita Patris, Matrisque virtutes ad posteros propaga-
rent. Prole quippe fecundum matrimonium hoc extitit.
Fili ex eo progeniti tres sunt: HERMANNUS, JA-
COBUS, FRIDERICUS. Primus eorum, in ipsa pu-
eritiâ sursum vocatus ad initia sua, æternâ jamjam bea-
titudine gaudet. Posteriores duoliteris, quantum ætas
fert, operam navantes in spem Patriæ mœstissimæque Ge-
nitricis solatium succrescunt. E septem filiabus sexta in
ordine, cui SOPHIÆ erat nomen, & ipsa infans in æter-
nitatem sublata cum reliquo cœlitum choro Parentem
nunc suum excepit. Inter superstites natu maxima est foe-
mina Nobilissima, in quâ quicquid est virtutum muliebri-
um, sedem sibi suam fixit, DOROTHEA, nuptum data
Anno 1701. d. 20. Octobr. Viro plurimum Rever. Ampliss.
ac Præ-Clariss. DN. M. JOANNI HÖVET/ Ecclesiæ Parohialis
apud Guströvienſes Pastori Primario fidelissimo optimeq;
merito. Quo ex conjugio Beatus Noster tres lætus vidit

&

& Avia & Matr̄is virtutum decore ornātam imaginem
vel ipsā hac in infantia elegantissimē referentes neptes :
ELISABETHAM MARGARETHAM, SOPHIAM DO-
ROTHEAM, & AUGUSTAM ELISABETHAM ;
unumque nepotem, AUGUSTUM, futurum, faxit
DEus ! avitarum paternarumque virtutum hæredem. Ho-
rum nunc eò magis deploranda sunt fata, quo intra bre-
vius tempus Mater & Conjugis dulcissimi & Parentis
amantissimi obitum deflere habet: Liberi & Patrem &
Avum, utrumque salutis suæ tutorem ac curatorem ma-
ximē providum præque ceteris integerrimum, in tenellulā
hac ætate, morte amiserunt, quid amiserint in illis, ne
quidem nunc intelligentes, utpote quorum nomina vix ac
ne vix quidem appellare didicerunt. Reliquæ B. DN.
Consiliarii vitali adhuc aurā vescentes filia sunt, Eximia
planè Honestissimæq; Virgines: MARGARETHA, CHRIS-
TINA, AGNESA, MAGDALENA LOVISA, Vir-
gines florentissimæ, egregiis tum formæ exterioris, tum
interioris animi dotibus coruscæ, & ut paucis multa dicam,
pietatem atque virtutem pretiosissima omnium jocalia du-
centes. Quā in sobole in timore Domini. qui sapientiæ
omnis initium est, educandā quantum studii, quantum cu-
rarum, quantum sollicitudinis posuerit beatè Defunctus,
partim hisce oculis vidimus, partim effectus abundè de-
monstravit. Pro quā fideli paternaque curā immortales
ei decernunt grates, æternum eandem grati deprædicaturi,
Pergerem nunc ad reliquas, quæ in Beato Viro fulgi-
dissimo elucebant splendore virtutes, ast vereor, ut iis re-
censendis calamus meus sufficiat. Non enim una in illo
eminebat virtus, sed omnes. Non hospitium modò in
ipsius animo posuerant, sed habitabant. *Prima virtus est,*
vitiæ

vitiocareret, Quintilianus inquit Lib. IIX. instit. Orat. Cap. III. Hinc noster per omnes vitæ dies id maximè studuit, ut vitiis careret. Cane pejus & angue oderat, quicquid unquam nomen gerit vitiorum. Vitiis quoque deditos à domo suâ longissimè arcebat, siquidem virtuti nullum cum vitio esse commercium potest. Non malè Seneca, humanorum morum formator inter Gentiles optimus Epist. XCIV. *Virtutem, scribit, exercet & ostendit recta actio.* Effectus namque testatur de suâ causâ. Ecquid verò in actionibus Beati Nostri offendi potuit, quod virtutis non spiraret amorem? Non quidem ab omnibus eum peccatis immunem pronunciare ausim. Non enim nisi imundos mundus hicce profert. Attamen quis negabit, summam hanc esse virtutem, peccata sua agnoscere, dolere de illis, remedium contra ipsa quærere in vulneribus Jesu? Et hoc erat, in quo quotidie occupabatur Beatus. DEUM amabat impensissime, Ministros ejus debitè venerabatur. Verbum divinum diligentissimè scrutabatur & attentè audiebat, Sacramento utebatur devotissimè. Non in ore, sed intimo pectoris inscriptum circumgerebat istud Salvatoris Matth. VI. 33. *Quærite primùm Regnum DEI, & justitiam ejus, & reliqua omnia adjicientur vobis.* Ex hoc amore DEI, ceu fonte, reliquarum emanarant virtutum rivuli. Hinc constantia ejus & patientia in adversis major, quam dici potest. Sciebat quippe, à Paulo edoctus, *quod his, qui diligunt DEUM, omnia simul adjumento sunt in bonum,* Rom. IIX. 28. Magnanimo igitur pectore sufferebat, quicquid crucis à providentiâ divinâ Ei immittebatur, *quid mirum,* inquit cum Seneca de Provid. Cap IV. *quid mirum, si durè generosos spiritus DEUS tentat? Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat & lacerat nos fortuna: patiamur: Non est savitia, certamen est. Quò sæpius adierimus, fortiores erimus.* Itaque nec in adversis, depresso, nec in prosperis elato animo visus est. Temporalibus bo-

C

nis

nis ad præscriptionem Pauli 2. Cor. VI. io. utebatur, uti nihil habens, & omnia possidens; honestè, utque statum ejus decebat, sed sine pompâ, sine luxu. In civili conversatione, quod in Attico Cornelius Nepos laudat; comitas ejus non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, quam amarent. A. fastu, magno licet in dignitatis fastigio constitutus, longè erat alienissimus, modestiæ studens atque humanitati, ut quam maximè. Hinc omnibus bonis maximum sui post se reliquit desiderium. Et facile agnoscitur, quali quantoque Viro justa hodiè solvantur, quem ipse Patriæ Pater ægerrimè amisit Ministrum fidissimum, quem deplorat universus hic Ducatus Consiliarium dexterrimum, quem deflet summo cum mœrore Vidua Maritum oculis chariorem, quem anxii singultibus prosequuntur Liberi Parentem astantissimum, quem lachrymantes quærunt Nepotes Avum jucundissimum, quem vocant Collegæ Collegam æstimatissimum, quem desiderant Amici Amicum integerrimum, quem omnes boni conspicuum omnigenæ virtutis exemplâr abiisse condolent.

Sed ad finem nunc scriptionis hujus cum sine vivendi Beati Nostri DN. Consilarii pergemus. Ubi ferias nobis fecit dexterrima Medici manus, cujus consiliis ac operâ beatè Defunctus usus est, qui est Vir Præ-Nobiliss. Excellentiss. atque Experientiss. DN. JOH. ERN. SCHAPERUS, Med. D. atque P. P. O. Celeberr. ut & Sereniss. Ducis Mecklenb. Archiater Fulgidiss. Fautor, Amicus ac Collega noster singulariter æstimandus, historiam ultimi, qui mortiferus exstitit, morbi his iisdem verbis describens:

Ad morbum Beati Nostri quod attinet, is die Octobris 11. febris catarrhalis facie indutus egrum invadebat, cum frequenti doloroso intercurrente singulæ præcordiorum angustia; hinc cum latentia majoris periculi suspectus esset, eò majori curâ convenientibus obviam ibatur remediis. His acerbicatem suam febris dissimulans spem subsecutura restitutionis per copiosam circa labia & in genâ sinistra pustulosam excretionem dabat, Ast blindiens tantum morbus sepius pristinas variâ submutatione recuperabat vires & die 18. Octobris spasnum lateri sinistro tantum inducebat, ut dissillimè & a gloriose respiraret eger. Hoc notabile spasmodicum Symptoma

circa solitum anniversarium consuevit alias ipsius podagra tempus cum oboritur omnesque artus à tributo podagra circa hoc ipsum tempus solvendo immunes simul manerent, agro persuadebat haud immerito, sobolem esse ad minimum podagra, nisi ipsa podagra pleno agmine sedem hanc nobilem & periculosam occupasset; Inter illas tristes agri curas & in hoc per remedia convenientis ipsi adveniebat solatium & post aliquot horarum spatium ab eo insigni doloroso spasmus erat liber. Verum enim verò nec adhuc tuta erat fides, siquidem viscidis simul acres ultra annum & quod excurrit reperibiles humores, cum macie totius corporis subindepectus ad tussim usq; afficientes, metum non inanem pluris subsecuturi mali inducebant, cujus quoque effectus probè tristis dabat documentum: Nam catarrhus die 11. Octobris apthas sibi socias reddebat, quæ suam simul in ventriculo sedem singultu prodentes, & prætereæ atati senili inconvenientes & maligne, hinc ordinariò funestæ, facie in hoc emaciato corpore optima quævis & probatissima illudebant remedia, mortemque non tantum præfagebant, sed causabantur, quæ die 27. Octobris placida quidem sed adstantibus & amicis probè tristis erat.

Ita est! Est hæc atra dies, quæ Gravissimum illum Honoratissimumq; Virum nobis abstulit, & quidem nocte ad meridiem inclinante, horâ XI. vix dum auditâ. Nec aliàs quidem mortalitatis immemor unquam vixit Beatus Vir, maximè tamen omnium meditatus eandem est, ex quo ultima vice ante mentem & qui superant, paucos dies Gustavo erat reverentissus, ubi Generi sui, quem singulari prosequi affectu solebat, laudati supra DN. M. HOVETII exequias curaverat. Præfagebat procul dubio cor, fore ut & ipse brevi ab hujus mundi malis, curis, molestiis, laboribus, ærumnis, quid enim aliud mundana sunt? liberaretur. Quod ipsum & eum aliquoties prædicentem audivimus. Omnes itaq; animo à curis publicis vacuo, in Redemptorem suum suas convertebat cogitantes, ejus merito confisus beatam analyfin exspectans. Qua fiducia lecto affixus lethifero mortem oppetiit, ut anima ex hoc corporis ergastulo soluta eò citius esse cum Christo æternâq; frui visione DEI posset. Et nunc voti compos factus sui est, mortem obiens adeò placidam, ut non ex viâ, sed è domo in domum migrare fuerit visus. Sic ad quam contendit, metam nunc comprehendit. Moriendo immortalitatem est consequutus. Superatis doloribus, æternum nunc gaudium gaudet. Cessantibus laboribus, sempiternâ fruitur requie. Fugatis miseris, in sinu Abrahamæ sine fine refocillatur. Utitur consortio Sanctorum Angelorum, vivit cum Cælestibus, DEUM videt à facie ad faciem. O felicitatem! ò beatitudinem! quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quam DEUS præparavit diligentibus ipsum. Salve igitur ò ANIMA BEATA! mactè hæc tuâ felicitate, frui bonis cælestibus. Custodiat Dominus omnia ossa tuâ, ut nec unum ex illis


con

conteratur. Memoria interim Tuæ nos nunquam vivemus immemores. Merita Tuâ laudabimus, concelebrabimus virtutes Tuas, sanctitatem, constantiam & fidem sectari annitemur. Sit memoria Tua in benedictione, moriaturq; anima nostra morte hujus justî, sintq; novissima nostra eijus similia!

Nunc & ad Vos mea se se convertit oratio, quotquot ob obitum hunc acerbissimo dolore affligimini, luctu, anxietate cordis, suspiriis, gemitibus, imo ejulatibus lacrymisq; Vestrum sive Maritum, sive Parentem, sive Avum prosequentes. Cur madidi adeo lacrymis oculi vestri sunt? Cur ora nil nisi gemitus proferunt? Cur pectora vestra tot innumerabilia suspiria propullant? Mortuû lugetis: Ast qui mori potest, qui factus est immortalis, sine fine cum DEO vivens? Amisum deploratis amorem conjugalem, amisam paternam curam, viduam vos orphanosq; redditos conquerentes: sed novisse Vos decet, DEUM in throno suo ledentem Patrem orphanorum esse viduarumq; judicem. Audiatis, obsecro, Mosen, legiferum illum Prophetam, cujus lex vitæ dirigit munia, Deut. X. 18. hæc Vobis insurrantem: *Dominus DEUS vester, ipse est DEUS Deorum & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera: facit is judicium pupillo & vidue.* Nostisne? Imo optimè nostis, quibus quantisq; Privilegiis personas Vestræ, ad quâ redacti hodiè estis, conditionis largissimè donaverit is ipse summus Deus. Ecce ergo tristamini? Supprimantur jam tandem gemitus illi, cohibeantur illa lacrimarum flumina. Audiatis Senecam, hominem Gentilem Christianos nos docentem Ep. CVII. *Optimum est quod emen lare non possis & Deum, quo Auctore cuncta proveniunt, sine murmuratone sequi.* Hæc verba meditemini, sequamini monitum hocce. Deus interim Spiritum efficacissimi solatii sui in pectora vestra effundat, Vos omnibus Defuncti benedictionibus beaturus.

Tandem & Vos compellandi mihi estis, CIVES HONORATISSIMI! Auditistis hæcenus, quali ac quanto Viro hodie funeris solennia parata sint. Est omnino æquum maximeq; conveniens, ut Viros de universâ Republ. bene meritos debito honore prosequamur; quod ubi vivis præstare non licet, vita defunctis nostram declarem observantiam, fas est. Qui autem aliter fieri ipsum potest, quam ut obitum eorum publicè lugeamus funeraq; frequenti comitatu cohonestemus atq; condecoremus? Sunt igitur nobis exequiæ hodiernæ eundæ Viri, cui etiam post fata ob muneris, quod gessit, dignitatem honorem: & meritorum, quæ Patriæ præstitit, multitudinem amorem debemus. Agite proinde, CIVES OPTIMI! præfensque funus prompto pariter atq; frequenti vestro dignemini comitatu. Vult namque ipse Princeps, Patria ille Pater, hunc Virû ipsa in morte honoratum, cujus Illustris Dn. Legatus, illi obeundo vices, splendorem comitatu, qui esse potest, maximum conciliabit. Hunc cesequimini, CIVES! & erit Defuncto honori, Familiaz moestissimæ solatio, Vobismet ipsis decoro.

PP. Sub Sigillo Rectoratus Rostochii d. 9. Novembr. Anno 1707.
Conventus fiet in templo Jacobæ horâ 1. pomeridiana






circa solitum anniversarium consueve
retur omnesque artus à tributo podagra
immunes simul manerent, agro persuad
minimam podagra, nisi ipsa podagra
periculosam occupasset; Inter illas tristes
venientis ipsi adveniebat solatium & po
signi doloroso spasmo erat liber. Verum
siquidem viscidè simul acres ultra annu
res, cum macie totius corporis subinde
non inanem pluris subsequenti mali in
tristis dabat documentum: Nam catarr
reddebat, quæ suam simul in ventriculo
cerea etati senili inconuenientes & ma
in hoc emaciato corpore optima quævis
mortemque non tantum presagebant, se
placida quidem, sed adsstantibus & ami

Ita est! Est hæc atra dies, quæ Gra
Virum nobis abstulit, & quidam no
XI. vixdum auditâ. Nec aliâs quidem
xit Beatus Vir, maximè tamen omniu
tima vice ante mentem & qui superar
fus, ubi Generi sui, quem singulari
pra DN. M. HOVETII exequias cu
cor, tore ut & ipse brevi ab hujus m
ribus, ærumni, quid enim aliud or
Quod ipsum & eum aliquoties prædi
mo à curis publicis vacuo, in Rede
gat ones, sejus merito confusus beata
cia lecto affixus lethifero mortem
ergastulo soluta eò citius esse cum
poller. Et nunc voti compos factus
dam, ut non ex viâ, sed e domo in
quam contendit, metam nunc comp
est consequutus. Superatis doloribu
Cessantibus laboribus, sempiternâ
suo Abrahæ sine fine refocillatur.
lorum, vivit cum Cœlestibus, DEU
citatem! ô beatitudinem! quam ne
in cor hominis descendit, quam DE
Salve igitur ô ANIMA BEATA! m
cœlestibus. Custodiat Dominus o

gr a tempas cumi obor
psum tempus solvendo
merito, sobolem esse ad
dem hanc nobilem &
in hoc per remedia con
rum spatium ab eo in
adbut tuta erat fides,
irrit reperibiles humo
usq; afficientes, metum
quoque effectus prob!
bris apbebas sibi socias
prodentes, & præ
inariò funestor, facie
a illudebant remedia,
que die 27. Octobris
erat.

n Honoratissimumq;
em inclinante, hora
mmemor unquam vi
andem est, ex quo ul
Gustro vio erat rever
tu solebat, laudati su
giebat procul dubio
aris, molestiis labo
a sunt? liberaretur.
imus. Omnes itaq; ani
suas convertebat co
spectans. Qua fidu
ima ex hoc corporis
que futi visione DEI
em obiens adeò placi
e fuerit visus. Sic ad
tendo immortalitatem
anc gaudium gauder.
Fugatis miseris, in
tio Sanctorum Ange
e ad faciem. O feli
nec auris audivit, nec
it diligentibus ipsum.
licitate, frueri bonis
ut nec unam ex ill s
con



the scale towards document